



1. Everardi s. Henr. Mart. s. Radonker
 über das Cäffelss. geswais.
 Rinteln 1662.
2. Flacq s. Matth. Al. tract. de
 Augustin et Manichorum
 sententia, in controvrsia
 peccati, 1572.
3. Flemming s. pauli s. Davii,
 Psalme, 1635
4. Godrici s. petri s. purgatorium
 Louppis 1603.
5. Heerbrandi s. iur. apologia,
 tubinge 1581.

REPETITIO ET 73
CONFIRMATIO ORTHODO-
XAE SENTENTIAE DE PECCA-
TO ORIGINALI: QVOD NE QVA-
quam sit vlla substantia, sed extrema substantiæ
a Deo conditæ corruptio: fulta & com-
munita immoto scripturæ
fundamento.

Per D. Simonem Musæum.

AD VERSVS FALSAM ET CA-
LVMNIOSAM REFUTATIONEM
Matthiæ Flacij Illyrici & eius
filij satellitis.



I E N AE
Impressum per Donatum Ritzenhan,
Anno M. D. LXXIII.

СИДОРОВА
КОМПОЗИЦИЯ ПАМЯТИ ВАХ
АНДРЕЕВОГО ОТ
СИДОРОВА
ДО СИДОРОВА
СИДОРОВА

ЭТА МАЛАЯ ЗУБРА
ПЕЧАТЬ МАСОИМУЛ
ГРЫЗОВИКИ



НА И Е І
БИБЛИОТЕКА
НИЖНІЙ ДІЛ



Vm in controv ersia de peccato originali,
prouocatus ab Illyrico, verum testimoni-
um publice coram Ecclesia dederim, & ex
solido scripturæ fundamento demonstra-
rim: Peccatum originale, nullo modo sub-
stantiam vllam dici posse, nisi aut sanctissimo Deo, tur-
pisimum opus Sathanæ in efficiendo malo culpæ im-
putetur, cum horribili blasphematione & negatione
eius iusticiæ ac bonitatis: Aut omnipotentia condendi
nouas substantias & specificas formas, Sathanæ tribu-
atur: Multi pīj cupide Illyrici responsionem expecta-
runt, certa spe concepta, fore, vt aut firmioribus argu-
mentis & scripturæ fundamentis suam sententiam so-
lide corroboraret, meamq; euerteret: Aut si id non
posset, saltem humiliter demonstratæ veritati assurge-
ret, & abiecto errore cessaret afflictam Ecclesiam pe-
riculoso & antea inaudito paradoxo turbare. Horum
alterutrum omnino ei faciendum fuit, si modo & con-
scientiæ suæ ullam rationem haberet, Et saluificæ ves-
titatis, & piæ tranquillitatis in Ecclesia studio tenere-
tur.

At virulenta ac plane sophistica eius refutatio, quam
meq; sententiæ opposuit, euidenter testatur, quam nihil
horum pensi habeat, dum loco firmoris demonstra-
tionis, vel pœnitentiæ, ad hostile potius bellum, & ca-
pitale odium aduersus me monitorē inflammatus est:
Vsq; adeo, vt singulæ eius paginae & voces instar ma-
ris intempestuosi, diris imprecationibus & acerbissi-
mis conuicjns spument & exæstuent: Ita, ut in nullum
etiam obstinatissimum hæreticum furiosius deba-
chari, & cholera suam euomere potuisset: Appellat

A ij

me

me malæ fidei censorem, criticum à genero suo sedu-
ctum, inquisitorem hæreticæ prauitatis, proferentem
Diabolicas calumnias, spiritualiter insipientem, sub-
uerium, & correptum Spíritu vertiginis, à quo nihil
certæ Theologiæ petiqueat, &c.

Et postquam hoc diluuiio fœdissimorum conui-
ciorum me conspurcauit & submersit, multo grauius,
quam ullus maledicus Semei vel Rabsaces, tandem
affirmat se mihi tanquam veteri amico parcere: Alio-
qui totam maledicentia pharetram in me effusurus.
Quis iam in Illyrico desideret in amicos veteres fi-
dem: indociles mansuetudinem: & in religioso præ-
lio, statim in primo conflictu, modestiam: Quantu-
rum quæso abest iste Spíritus ab illo; de quo Psalmus
10: inquit: Sufflat contra omnes inimicos suos, & ma-
ledictione os eius plenum est, &c.

Postremo quasi nouus quidam Achilles, re præ-
clare gesta, & coronatione digna, sic calumnijs & ma-
ledictis me prostratum & confossum, tandem acerbis-
simis sarcasmis sepelit & vociferatur: Eat nunc Mu-
sæus iste Criticus, & clamet Illyricum blasphemare, &
facere Deum autorem, causamq; originalis peccati, &
facere ex Deo Diabolum, cum nemo id vñquam cras-
sus & fœdius ipso fecerit, &c.

Quid hic respondeat miser & inermis Musæus
tā instructo & formidabili bellatori: Enim uero, si mi-
hi liberet cum furente furere, Et contra præceptum Sa-
lomonis, stulto respondere iuxta eius stulticiā, vt simi-
lis ei fierem, non deesset mihi similis moneta, eaçp non
ita

ita adulterina et fucata, atq; eius est. Verum quid hoc
prodeisset Ecclesiæ Dei: Num canino rictu insontem
fratrem et fidelem monitorem lacerare, est explicare
controversiam, & defendere veritatem: Num tam ar-
duum & sanctum negocium decet huiusmodi rabio-
sis & effrenibus affectibus tam petulanter & scurrili-
ter prophanare:

Salomo Prouer. 9. dicit, Qui castigat derisorem,
recipit contumeliam, & qui redarguit impium aspor-
tat maculam. Noli corripere derisorem, ne forte ode-
rit te, Redargue sapientem & diligete. Item Prouer.
18. Quisquis singularis est, amat tantum sua placita &
opponit se omni bono, Stultus non delectatur intelli-
gentia, nisi quod in corde suo nascitur, &c. His dictis
monitus omnino statueram in posterum tacere, nisi a-
trocitate Manicheæ blasphemiae, quam denuo Illyri-
cus in prædicta refutatione contra sanctissimum De-
um effundit, cogerer paucis respondere, & alijs doctio-
ribus occasionem præbere, accuratius hisce de rebus
longè grauiissimis & periculosisimis cogitandi.

Verba autem Illyrici sunt hæc in sermone, E. pa-
gina 1. Cœterum vera responsio est, quod, sunt sæpi-
simè prioribus meis scriptis ostende, illa ipsa præpo-
tens reginaq; vis, quæ nunc tam potenter malicioseq;
regnat in toto genere humano, & infinitis millibus
dæmonum, non sit quædam res, aut vis a solo Sata-
na effecta, vt Manichæi voluerunt, Sed sit potius vis
ac potentia, olim quidem a Deo, optimè condita, for-
mata & effigiata, & tunc vocata liberum arbitrium,
promptissime Deo ad omne bonum seruiens. Postea

A iij

autem

autē per apostasiam hominis , à Satana latrone & seductore , non sine efficaci maledictione Dei (morte morieris) in pessimam quandam imaginem aut formam inuersa & peruersa. Hæc Illyricus senior.

Eodem modo Illyricus iunior, sine dubio ex Patris instructione, in Ternione B. 4. reprehendens me, tribuentem Deo tantum priuationem bonorum, & negantem vllam efficacem positionem malorum culpæ in Deum cadere, Ipse contrarium vrgens inquit: Fatetur Musæus Deum priuasse hominem vita, mox sibi ipsi contrarius, dum dicit, Deum non dedisse ei formam nouam, &c. Ibidem. Fatetur hominem maledictione Dei esse perditum, & negat hominis formam substantialem bonam a Deo mutatam in substancialem contrariam, &c.

Ex his verbis bona fide citatis, iudicent omnes pñj, vtra sentencia magis sit orthodoxa, vel vtra magis declinet ad Manicheismum: Illyricine, qui diserte pronunciat, imaginem Satanæ, efficaci maledictione Dei effectam: An nostra potius, qui iuxta normam scripturaræ constanter profitemur, Deum pro sua essentiali & immutabili bonitate, nullam prorsus efficacem vim exerere in efficiendam seu quoquo modo iuuandā formam seu imaginem Satanæ: Quod tanquam malum culpæ, tam impossibile sit cadere in Deum, æternum fontem bonitatis, & hostem turpitudinis, quam non esse Deum: Licet ratione seueræ & legalis iusticiæ, priuet bonis, & puniat temporalibus & æternis dolosribus ingratas Creaturas: Non autem fabricet vel armet

armet vlla organa ad peccandum & ruendum contra
eius sanctam voluntatem. Si quidem in Deo veraci,
non sunt pugnantes voluntates & actiones.

Cum itaq; totus cardo præsentis controuersiæ
recte dijudicandæ, præcipuæ pendeat, ex norma lega-
lis iusticiæ in Deo, iuxta quam omnes rationales crea-
turas, Angelos & Homines ad suam imaginem con-
didit, & lapsas quoq; puniuit: Summa necessitas po-
stulat ut eius proprietates paulo altius repetitæ excu-
tiantur, & dogma Illyrici ad ipsarum amissim dili-
genter exigantur, Tunc enim liquido elucefct eius
absurditas & falsitas.

Passim sacræ literæ, generaliter Deum nunci-
pant Iustum, propterea quod talis sit eius substantia,
voluntas & actio immutabiliter, iuxta hæc testimo-
nia. Veluti, Psal. 7. Deus iustus iudex est. Item Psal.
118. Iustus est Dominus, & iusta iudicia eius, &c.

Deinde distinguit scriptura, talem Dei iustici-
am, in duo diuersa officia, idq; usitatis vocabulis, Iu-
dicij & Iusticiæ, iuxta Psalmum 89. Iusticia & iudicium
basis throni eius.

Iusticia in Deo propriè illud est, quod vulgo vo-
catur bonum morale, seu bonitas & sanctitas, in deca-
logo delineata & promulgata, qua & ipsa talis est, in
perfectissimo gradu, & iuxta hanc normam, omnes
rationales Creaturas, Angelos & Homines crea-
uit, mouet ac regit: Qua etiam ab omnibus im-
mundis rebus, aliunde inuectis, contra Sanctam
A iiiij eius

eius voluntatem, discernitur agendo & gubernando.
Quemadmodum Moses Gen. I. eum hoc nomine pre-
dicans inquit: Vidi Deus omnia quae fecerat, & erant
valde bona, scilicet, utroque modo, tam moraliter con-
formia voluntati Dei, quam naturaliter apta & desti-
nata ad bonum finem & certum usum, Propter hoc of-
ficium legalis iusticie in Deo, dicit Christus Matthe-
19. Nemo bonus est, nisi solus Deus. Quia ipse quoque
Deus, Leuitic. 19. inquit, Sancti estote, quia ego san-
ctus sum.

Cum hoc bono morali in Deo extremè pugnat,
malum morale, seu culpæ, quod teste etiam ipso Illy-
rico, in sua clavi, est dissonantia creaturæ rationalis,
a voluntate & iusticia Dei, propter quam omnes lapsi
Angeli & homines, appellantur mali & peruersi. Sicut
de Angelis pronunciat Christus Matth. 12. quod sint
immundi spiritus, De hominibus vero Paulus Ro. 3.
Quod omnes sint inutiles facti, & ne unus quidem
iustus.

Huiusmodi mali, moralis effectionem, promotionē
vel approbationē, tam impossibile est cadere in deū,
quā non esse Deū, Sicut Moses Deu. 32. inquit: Fidelis
est Deus, & non est iniquitas in eo, Iustus & rectus est.
Sed generatio prava & peruersa peruerse egit contra
Deum. Item Ps. 5. Quoniam non Deus es tu, cui place
at impietas, neque morabitur apud te malum. Item Psal.
145. Iustus est Dominus in omnibus vijs suis, & san-
ctus in omnibus operibus suis. Item Syracides 15. Ne
dixeris si falsum docui, Deus id fecit. Quod enim ipse
odit, nequaquam facias, Deus abominatur omnem
idola-

idolatriam, & qui eum timet, abhorret ab ea. Deus neminem iubet esse impium, neque concedit cuiquam pecare. Item Matthei. 13. Christus mirantibus Apostolis ob zizania in agro eius succrescentia, respondens excusat Deum patrem familias, & dicit, hoc inimicus fecit. Item S. Iohannes 1. Epistol. 2. Concupiscentia carnis non est ex Patre, sed ex mundo. Item primo capite eiusdem epistolæ: Deus lux est, & non sunt velæ in eo tenebrae, si dixerimus, quod societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur: Sin vero in luce ambulamus, sicut ipse in luce est, societatem cum eo habemus, &c. Item Iacobus capite. 1. Nemo tentatus dicat, se à Deo tentari, Deus enim ipse nullis malis tentari potest, ita neque alium tentat: Vnusquisque autem tentatur, dum à propria concupiscentia abstrahitur & inescatur, Deinde concupiscentia parit peccatum: Peccatum vero patratum, gignit mortem. Ne erretis fratres mei dilecti, omnis donatio bona, & omne donum perfectum, è supernis est, descendens à Patre lumen, apud quem non est transmutatio, aut conuersio obumbratio, Id est, Deus manet perpetuo immutabilis in bono moralis solummodo faciendo, & nunquam vertitur ad malum morale, sicut ipse id comprobans Mala. 2. inquit, Ego sum Deus, qui non mutor. Ideo Lutherus folio 110. in Genesin dicit: Ideo diligenter discite locum de peccato originali, neque disputetis, quare Deus id permisit: Nota peccatum originale esse ortum Permissione & non efficaci maledictione Dei.

Ex hoc cumulo firmissimorum testimoniorum irrefragabiliter evincitur prius officum legalis iustitiae in Deo, quod sit immutabilis in bono morali faciendo

B

endo

endo, & multo magis contrarius malo morali, quam
ignis aquæ.

Alterum officium vocat scriptura iudicium, spe-
ctans ad bonum vel malum naturale, seu pœnæ, quod
ipse quoq; Illyricus in sua clave definit, esse omnem de-
structionem diuinæ ordinationis in creaturis intelli-
gentibus, etiam in homine, quatenus est non intelli-
gens, vt sunt morbi, mors, & omnis omnino destru-
ctio. Et addit Illyricus, hoc malum pœnæ rectissime
tribui Deo, vt iudici mundi: Malum vero culpæ soli
homini & Diabolo.

Isto igitur altero officio, Deus vel benedicit ac
præmijs afficit conformes sibi creature: vel maledicit
& pœnas infligit ingratis & peruersis, priuando eas
suis bonis & cruciando doloribus, Sicut vtrunq; Mo-
ses exprimit Deute: 28. Si obedieris voci Dei tui, tunc
vniversæ benedictiones super te venient, &c. Sin au-
tem auerteris te, cadent super te omnes maledictio-
nes. Negari igitur minime potest, priuationem bono-
rum Deo congruere, tanquam iustum pœnam in in-
gratas creature: Nisi forte in dubium vocari posset,
de genere bonorum: An priuatio saltem in bona na-
turalia, An vero in moralia quoq; cadat.

Ego quidem in ea sentencia sum, quod in vtrunq;
genus cadat, moueorq; hisce dictis. Veluti Psalm.
51. Spiritum sanctum ne auferas à me: Quo etiam do-
na spiritus moralia, veluti sapientia & iustitia compre-
henduntur. Idem etiam videtur docere Christus, Mat.
25, similitudine denegociantibus, vbi cum ingratu &
segni

segni negotiatore grauiter expostulans inquit: Tu ser
ue nequam & piger, sciebas quod metam, vbi non ses
minaui, & congregem, vbi non sparsi &c. Tollite ab
eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni
enim habenti dabitur: Qui vero non habet, etiam id
quod habet auferetur ab eo. Inutilem autem seruum cij=
cite in tenebras exteriores: Ibi erit fletus & stridor den=

tium. Plane ad eum modum Deus tam Angelos, quam
homines creauit, veluti suos negotiatores, & opulen=

ter suis bonis, iustitia & sapientia instruxit, ad gloriam
suam propagandam. Verum cum abusi sunt ipsis ad
eius contemptum & vanitatem, rursus spoliauit eos in
poenam: Non autem efficaciter & positive peruersos
reddidit ad peccandum.

Id quidem sine periculo mihi videtur dici posse:
Veruntamen potius ḡ vlla etiam minima parte, im=

motum & sacrosanctum hoc ἀξιωμα (quod Deus non
sit autor peccati) labefactari patiar, non grauatim re=

stringam priuationem, in genus duntaxat bonorum
naturalium: moralia autem dicam, ab homine ingrato
petulanter executi. Ita minus periculi erit à Manichæa
labe.

Porro duplex hoc malū, culpæ scilicet & poenæ, quo
rum alterum à Satana & homine lapso, alterum autem
à Deo iusto iudice proficiuntur, peperit etiā diuersam
significationem vocabulis, destructionis, perditionis
& corruptionis. Interdum enim de malo morali seu cul=

pæ accipiuntur. Veluti Genes. 5. Omnis caro cor=

ruperat viam suam. Item Psalm. 14. Omnes corru=

pti & abominabiles facti sunt. Hoc sensu tantum lapsis
Angelis & Hominibus competunt. Interdum au=

tem usurpantur pro malo poenæ. Ut 1. Corinth. 1.

B ij

Per-

Perdam sapientiam sapientum. Item Gene. 13. Ante-
quam perderet Dominus sodoma, erat quasi hortus
Dei, Hoc posteriore sensu recte Deo tribuuntur.

Hanc significationum diuersitatem ideo recito,
quod Illyricus ambiguitate harum vocum (corruptionis & destructionis) insidias mihi struit, & inde fraudulenter contra meam mentem, crimen Manichæi
ismi mihi impingit & consuit , sicut mox ostendetur.

Iam exigat pius lector ad hanc irrefragabilem
normam & declarationem legalis iusticiæ Dei, dog-
ma Illyrici, quod meæ sententiæ opposuit, tunc palpa-
bilius deprehendet , quam blasphemus in sanctum
Deum, & quam iniurius & mendax sit in me insontem.
Licet enim ipse quoque autoritate scripturæ coactus, sal-
tem in speciem discernat malum culpæ à malo pœnæ,
idque in sua clavi negat in Deum cadere: tamen in sua
refutatione dementatus impatientia reprobationis
aduersus me contrarium afferens inquit.

Cœterum vera responsio est, quod sicut saepissime
prioribus meis scriptis ostendi, ipsa præpotens re-
ginaque vis, quæ tam potenter malicioseque regnat in
toto genere humano & infinitis milibus dæmonum
non sit quædam res aut vis a solo Satana effecta, ut
Manichæi voluerunt: Sed sit potiusvis & potentia, o-
lim quidem à Deo optime condita, formata & effigia-
ta, & tunc vocata liberum arbitrium , promptissime à
Deo ad omne opus seruiens. Postea autem per apo-
stasiam hominis, à Satana latrone & seductore Non
sine

sine efficaci maledictione Dei(morte morieris) in
pessimam quandam imaginem aut formam inuer-
sa & peruersa. Hæc Illyricus.

His verbis ipse Illyricus diserte testatur, se suam
sententiam, de peccato originali , in breuem quandā
summam comprehendere quam maxime ratam & au-
tenticam haberi velit, quandoquidem vocat eam ve-
ram responsionem : Et quidem talem, quam ipse sæ-
piissime prioribus suis scriptis ostenderit inculcarit,
Ideo operæ premium est, eam diligenter excutere, &
iuxta analogiam scripturæ examinare, sicut Paulus
i. Thessal. 5. monet inquiens, Omnia probate, & quod
bonum est tenete,

Initio autem cernitur hic in Illyrico insigne ex-
emplum dicti Salomonis Proverb. 12 labium verita-
tis est stabile perpetuo : Lingua autem mendacij vix
momento. Item ibidem Improbus irretitur transgres-
sione suorum labiorum, Id est, implicat seipsum anti-
logijs, quasi laqueis sibi ipsi iniectis, vt facile ex suis
ipsius verbis mendacij conuinci queat. Sicut enim
veritas est plana, simplex, perq; omnia sibi cōstans; Ita
vicissim falsitas est tortuosa, vbiq; impingens & seip-
sam euertens ac prodens, idq; tanto magis, quanto spe-
ciosius conatur sese palliare & occultare ob suam tur-
pitudinem.

Nouit Illyricus vniuersam ecclesiam abomina-
ri, & nullas piorum aures admittere hanc vocem:
quod Deus sit autor, aut ullo modo promotor mali
culpæ, seu peccati originalis, Ideo tragice clamat, sibi
præter suam mentem huiusmodi crimen affingi, At
B iiij reuera

reuera sub prætextu huius protestationis omnibus extensis neruis & viribus aliud nihil molitur, & ut hoc obtineat. Ideo aperte in prædicta descriptione peccati originalis, tres eius causas concurrentes ponit: Vide licet, Hominem, Satanam & Deum. Homini tribuit apostasiam factam in Paradyso, in lapsu primorum parentum. Satanæ autem, tanquam latroni & seductori inuersionem & peruersiōnem imaginis & formæ essentialis optimæ in pessimam.

Verum quia videt hoc soli Satanæ non esse possibile præstitu: Ideo adiungit ei Deum socium cum sua efficaci maledictione, ita, ut in peruersione & inuersione illius pessimæ imaginis, præcipuas partes præstet per suam maledictionem: Idque per talem maledictionem, quæ non sit simpliciter desertua vel inflictua dolorum, vel permisiua mali culpæ, ob ingratitudinem, congruens iusticiæ diuinæ, tanquam malum pœnæ: Sed maledictio efficax, operosa & positiva mali culpæ.

Hunc sensum nobis etiam inuitis obtrudunt & ingerunt supradicta verba Illyrici, ita, ut nos videntes & intelligentes nullo modo fascinare queat, vel ratione villa elabi, etiamsi pro sua astutia & versutia omnes Vulpinas technas tentet, & plusquam omnes prothei & Chameleontes in mille formas se vertat.

Hic cogitent piæ mentes, quo tandem hæc vergant. Cum enim Illyricus grauitatem peccati originalis constituat & aestimet, non ex obiecto principaliter, Id est, violatione Dei, tanquam infiniti boni: Sed subiecto

iecto, id est, transformatione nostrę substantiæ, eamq; transformationem efficaci maledictioni Dei, tanquā potentissimæ causæ asscribat: An non inde sequetur Deum esse summum peccatorem, & culpam ac contumeliā peccati originalis, maxime in eū redundare, plusquam in hominem vel Satanam, ut pote qui pessimā illam formam sua efficaci maledictione absoluerit & exædificauerit, quam neq; solus homo, neq; solus Satan, sine eius adminiculo perficere potuit.

Hoc pacto sanctissimus & iustissimus Deus non solum defraudatur gloria bonitatis, sed etiam abdicatur officio iudicandi impium mundum, Sicut Paulus Roman. 3. inquit: Si Deus iniustus est, quomodo iudicabit mundum? Vibrante enim ipso fulmen æternæ damnationis, mundus statim optimo iure excipiet & dicet: Cur me damnas? cum tua ipsius culpa sim talis, & tua efficaci maledictione in pessimam formam & imaginem essentialiter inuersus & peruersus sim.

Quemadmodum hoc blasphemæ exceptio-
ne & accusatione Dei, vñi sunt primi Parentes in
Paradyso statim post lapsum, Cum producti ante
tribunal Dei euadere tentant translatione cul-
pæ. Adam enim interrogatus, cur peccasset, respon-
det: Mulier quam dedisti mihi sociam, de-
dit mihi deligno, & comedì. Hæc interprete
Luthero, vox est plena irarum contra Deum, qua
culpam peccati transfert in Deum, & murmurat
contra Deum: Quasi diceret, hoc incommodo tu
B iiiij ipse

ipse me onerasti, si mulieri dedisses proprium aliquem hortum, nec me eius cohabitatione grauasses, man- sissem sine peccato: Quod igitur peccavi tua culpa est, qui addidisti mihi vxorem.

Simili modo Heua respondet, Serpens decepit me & comedí: Quasi diceret, interprete Lutherò: Tua culpa est, cur enim serpentem Creasti, & permisisti in Paradysum, & me decipere &c. Hic addit Lutherus: An non hoc est accusare Deum Creatorem, & culpam à se remouere? Sic videmus peccatum ubique idem esse & agere, non vult esse peccatum, sed iustitia. Hoc cum obtainere non potest, in Deum reclinat culpam, ut Deus arguentem peccatum mendacij arguat. Ita ex peccato humano fit peccatum plane Diabolicum, & incredulitas vertitur in blasphemiam, &c. Ad augendam & confirmandam huiusmodi blasphemiam accusationem Dei Illyricus egregie frigidam suscep- dit.

Quanquam autem prædicta responsa primorum parentum erga Deum fuerunt falsa, iniusta & blasphemia, tamen reuera comparata ad Illyrici dogma, multo sunt mitiora & modestiora. Ipsí enim Deo impudent tantum occasionem ad peccandum præbitam, & permissionem, quod pro sua omnipotentia non remouerit talem occasionem, At Illyricus longè eos superans impudentia, assignat Deo efficaciam seu efficacem maledictionem, ad ipsorum peruersiōnem & inuersiōnem formæ & imaginis essentialis in pessimam, Et ita viam sternit ad Blasphemias multo maiores, q̄ Manichæorum vñquam fuerunt.

Vete-

Veteres enim Manichæi, ipso etiam teste, non
senserunt peccatum à bono, sed à malo Deo creatum,
& homini ab extra infusum. Illyricus autem non vere-
tur ipsi bono & sancto Deo, hoc crimen impingere,
quod nostræ animæ substantiam bonam conditam,
rursus efficaci maledictione, vna cum Satana latrone
& seductore, inuerterit & peruerterit in pessimam.
Cum merito cogitare deberet, Deum ita temperare
seueritatem suæ iusticiæ, in puniendis ingratis crea-
turis, ut non amittat gloriam sanctitatis & bonitatis
per effectionem mali culpæ, qua amissa, desinit esse
Deus.

Si peccatum originale (vt afferit Illyricus) est
noua substantia, vel transmutatio essentialis formæ bo-
næ in contrariam essestialem, necesse est huiusmodi
metamorphosin, existere in duobus rationalibus sub-
iectis, Angelis scilicet & hominibus: Et quidem in
Angelis tanto magis, quanto grauius lapsi sunt. Si An-
gelis tribuitur, necesse est dicere, quod aut à seipsis, aut
à Deo sint transmutati. Hic enim nullum est tertium.
A seipsis autem non potuerunt transmutari, quia nulla
creatura suam ipsius substantiam à Deo conditam, in
diuersam speciem mutare potest, licet se à bono ad ma-
lum auertere possit. Ergo culpa recidit in deum con-
ditorem, vt idem sit in Angelis autor boni & mali es-
sentialis moraliter. Hoc autem posito & concessso, a-
mittit Deus suam bonitatem & sanctitatem, qua com-
missa desinit esse Deus, iuxta regulam legalis iusticiæ
supra declaratam, vna cum citatis firmis testimonijis
scripturæ. Passim scripture loquens de norma iudi-
cij Dei, affirmat ipsum daturum vnicuique iuxta opera
sua.

C

sua. Ergo Deus seipsum puniet omnium grauissime propter peccatum originale, quod (teste Illyrico) ipse efficaci maledictione tanquam suum opus vna cum Satana produxit: Et Christus crucifixus magis propter Dei & Satanæ opus, quod est transformatio nostræ naturæ ab ipsis facta, quam propter nostrum opus, quod est apostasia & violatio Dei infiniti boni passus est. Quo quid posset cogitari absurdius & magis blasphemum in sanctum Deum?

Vtrobique igitur firmiter statuendum est Deum prorsus immunem esse à morali corruptione & transformatione tam Angelorum quam hominum, iuxta expressum testimonium Christi, Iohann. 8. de lapsu Angelorum in hunc modum loquentis: Diabolus homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, & eius rei pater est:

Hic diserte ipse filius Dei totam causam lapsus & corruptionis Angelorum rejecit à Deo creatore in ipsumsos. Non enim dicit cum Illyrico, Diabolum efficaci maledictione Dei in pessimam formam transmutatum essentialiter: Sed simpliciter non stetisse in veritate: Et loqui mendacia, non aliunde à Deo accepta, & effeta, sed ex proprijs: Esset patrem mendacij, hoc est, primum autorem & causam, ita, ut neque Deus, qui est fons & pater veritatis, neque quisque alius eum in menda cem mutauerit.

Licet igitur Deus veluti ignis consumens peccatores (ut in Deut. 4. & in Epistola ad Heb. 12. vocatur) Angelos lapsos, ratione suæ severæ iustitiae, collatis bonis priuauerit, & æternis doloribus & cruciatibus addit-

addixerit (quod appellatur malum pœnæ) Tamen eius
immutabilis sanctitas & bonitas, nullo modo patitur
asseuerare, quod per efficacem maledictionem sit au-
tor, introductor & promotor ullius mali culpæ, vel
transformationis essentialis: Sed illud accidentaliter
& contingenter contra sanctam eius voluntatem exor-
tum est.

Quod enim natura illa in homine, ad operandum
& non ociandum condita: Propter apostasiam autem,
maledicta & à gubernatore Spíritu sancto deserta, &
sibi soli relicta, aliud posset, quam perpetuo impetu rue-
re & furere contra normam mentis & iusticiæ diuinæ:
Etiamsi nulla alia noua, & contraria substantia efficia-
tur, & per essentialem transmutationem creatur. Amis-
sa enim sapientia, iusticia & vita, sua sponte, & sola vi
ullius voluntariæ apostasiæ, succedit stultitia, iniusticia
inimicitia & mors: fitq; auersa à Deo creatura, similis
naui, quæ disiecta & destituta gubernatore, velis & re-
mis, arbitrio ventorum ac fluctuum huc illuc agitatur,
& in scopulos impingit, donec in frusta frangitur &
pessum it. Sicut Deus inquit Psalmi, 81. Populus meus
non audiuit vocem meam, neq; Israel acquieuit mihi:
Ideo dimisi eos in prauitate cordis sui, ut irent in con-
silijs suis.

Porro si peccatum originale, ne quidem in angelis
lapsis, sine blasphemia sanctissimi Dei potest demon-
strari, quod sit substantialis transmutatio, in nouam
specificam formam efficaci maledictione Dei facta,
multo minus in hominibus.

Quocunq; igitur tevertis, Illyrice, cum tuo novo dog-
mate, siue ad Dei siue ad angelorum, siue ad Prophetarum
iudicium & testimonium, ubiq; causa cadis & repelleris.

C ii

Si

Si prouocas ad Deum, illico te retundit tam dis-
Etis quam factis. Quomodo enim is Angelos & homi-
nes sua efficaci maledictione substantialiter inuerteret
& peruerteret: qui gloriatur, Hose. 13. Perditio ex te Is-
rael, salus autem tua ex me: Item Leuitici 19. Sancti
estote, quia ego sanctus sum. Item Malach. 3. Ego sum
Deus qui non mutor, id est, sum immutabilis in bono
moralis efficiendo & promouendo, contra malum mo-
rale seu culpæ: Idq; etiam tam multiplicibus factis de-
claravi, veluti prohibitiæ vetitæ arboris in Parady-
so, insitione & promulgatione decalogi, tot atrocibus
minis ac pœnis scelerum, ipsa deniq; crucifixione filij
vnigeniti: Quæ omnia testantur me non esse effecto-
rem, peruersorem, promotorem, sed æternum potius
iudicem, vindicem & hostem corruptæ naturæ, omnis
anomia & turpitudinis &c. Tot modis Deo vindican-
ti gloriam suæ sanctitatis, nonne desines, Illyrice, ad-
uersa fronte contradicere?

Sitibi sanctorum Angelorum consensum polli-
ceris, vniuersus ipsorum chorus contra tuum dogma
insurgit, & Esai. 6. Deum optimum ac purissimum
conditorem consentientibus hymnis celebrans in-
quit: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Zeba-
oth, pleni sunt Cœli & terra gloria tua, id est, glorio-
sis & in effabilibus bonis & beneficijs. Id si verum
est, impie conspurcas & prophanas, Illyrice, gloriam
sanctitatis Dei, cum contendis, reginam & vim illam
præpotentem peccandi, tam in Angelis in Cœlo,
quam in hominibus in terra, efficaci maledictione
Dei esse productam. Hoc tam magnificum angelici
chori testimonium, non deberes tam superbe asper-
nari, & mendacij arguere.

Si

Si patrocinium quæris apud Prophetas, omnes
pariter pro gloria sanctitatis Dei, contra tuum blas-
phemum paradoxon sua tela dirigunt & iaculantur.
Petit te Moses, Deute. 32. Fidelis est Deus, & non est
iniquitas in eo, iustus & rectus est. Prosternit te David
Psalm. 5. Non Deus es tu, cui placeat impietas &c. Si
non placet, quomodo igitur eam efficeret, & hominis
substantiam sua efficaci maledictione inuerteret &
peruerteret? Idem Psalmo 145. Iustus est Dominus in
omnibus vijs suis, & sanctus in omnibus operibus su-
is. Ergo præpotens illa regina Illyrici in peccando,
non est opus Dei efficaci eius maledictione produ-
cta.

Postremo si suffragium speras ab Apostolis, stant
omnes armati & congregati aduersus te, & causam
Dei agunt, contra tuam præpotentem reginam. A-
trum profecto calculum injicit contra te Iohannes
cum 1. & 2. capite suæ Epistolæ dicit, Deus est lux, &
non sunt tenebræ in eo. Item concupiscentia carnis,
non est ex Patre, sed ex mundo. Ergo neq; præpotens
regina peccandi, quæ est ipsa concupiscentia carnis,
profecta est ex efficaci maledictione Patris, sed ex
mundo.

Huic concinit Iacobus Capit. I. vbi quasi ex pro-
fesso Illyricum ab errore reuocans inquit: Ne erre-
tis fratres dilecti, Omnis donatio bona, & omne do-
num perfectum est è supernis, à Patre lumen, a-
pud quem non est transmutatio aut conuersionis ob-
umbratio, &c. Audis ne iterum Illyrice, arguite erro-
ris, quod imputando præpotentem reginam tuam

C iii

in

in peccando, efficaci maledictioni Dei, tribuis Deo transmutationem ex bono in malum, & conuersionem lucis in obumbrationem tenebrarum, qui tamen perpetuo manet immutabilis pater lumen, & omnium bonarum donationum duntaxat, & non prauarum.

Quamobrem, cum ipse palam videas, & in tua conscientia conuincaris, te cum tuo dogmate depulsum et profligatum esse, ex tota arce sacræ scripturæ, & nihil amplius præsidij & suffragij, neq; in Deo, neq; in Angelis neq; in Prophetis neq; Apostolis reliquū habere, præter pauca aliquot folia ficalnea, hoc est contorta dicta scripturæ & Lutheri ad defensionem tuæ fanaticæ sententiæ: Obtestor te denuo per gloriam sanctissimi Dei, quæ a te deformatur & in discrimen adducitur: Pertuam ipsius salutem, quæ ob pertinax hoc certamen periclitatur: Deniq; per ecclesiæ afflictissimæ piam tranquillitatem, quæ hoc finesto dissidio in infinitū turbatur & dissipatur, vt desinas vrgere, hoc nouū, periculose, & antea inauditum paradoxum, quod peccatū originale sit substantia seu substancialis specifica forma efficaci maledictione Dei effecta: Redreas ad pristinam simplicitatem ιησού χριστού γιενουτωρ λόγωρ. (vt Paulus monet): Et contineas te, intra debitos hosce limites & septa scripturæ: Quod peccatum originale sit totalis corruptio, tam substantiæ quam accidentiū in nostra natura priuatue bonorum & positivæ malorum, non tamen quantum ad moralia attinet vlla vi efficaci & cooperatiua Dei, Sed sola vi apostasiæ exorta impellente Satana: Et quod plane infinitum malum sit, propter violationem infiniti boni, quod est ipse Deus: Ex quo impossibile sit

sit emergere, nisi tota trinitas nos absorptos inde extrahat, Filius mediator expiando, pater remittendo. Hac ratione manet Deo gloria iusticiæ illibata, & nobis confessio culpæ syncera, ut recte cum Daniele 9. Cotidie coram Deo confiteamur, Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei.

Porro confirmata in hunc modum denuo orthodoxa sententia de peccato originali, & euerso fanatico & blasphemico delirio Illyrici, ex immotis scripturæ fundamentis, diluam quoq; præcipuas aliquot ipsius obiectiones & exceptiones, quæ saltem aliquam speciem veritatis in eius refutatione mihi oppositæ, præse ferunt, & me quoquo modo prægrauare videntur, luxta dictum Salomonis Proverbio: 26. Responde stulto, iuxta suam stultitiam, ne videatur sibi sapere.

Primo commonefeceram ipsum, statim in vestibulo meæ sententiæ lenibus verbis, nocentissimæ eius temeritatis, quod præmatura & præcipiti publicatione noui sui dogmati, & priuatarum mearum epistolarum, non solum ius amicitiæ nostræ violasset, verum etiam certamen longe nocentissimum accendisset, & afflictam ecclesiam nouis turbis, Schismatibus & scandulis inuoluisset, contra præcepta Syracidis & Salomonis de occultandis arcans, & contra horribiles minas Christi Matth. 18. de vitandis scandalis.

At Illyricus more usitato tergiuersantium, calidum pariter & frigidum mihi efflat. Partim enim

C iiiij

negan-

ne gando vocat narrationem meam, de mutua nostra collatione, simpliciter figmentum falsissimum: Partim probat meam ingenuitatem, quod aperte confessus sim producta testimonia eius prouocationis. Gloriatur et iam de sua docilitate, quod meo hortatu suam pro positionem de Peccato originali, in sua clavi correxit, alioqui multo crassius eam in medium prolaturus. Cur igitur appellat narrationem meam falsum figmentum, Nimirum, quia non omnia ad palatum eius respondi. Apud Illyricum enim falsa ceperunt dici, quæ non iuxta placitum eius dicuntur: Vera autem quæ ipse probat.

Errat prorsus etiam in eo, quod citata à me dicta ex Salomone & Syracide, de tacendis arcanis amicorum, torquet tantum ad politica negotia, quasi isti duo ecclesiastici scriptores similes Theognidi vel Hesiodo, de politicis duntaxat negotijs scribant, & amicitias Christianorū, doceant similes Ethnicis coniunctionibus, qualis Ciceroni cum Pomponio Attico fuit, in rebus Carnalibus. Imo maxime vrgent etiam virtutes primæ tabulæ, & docent usum Christianæ amicitiae præcipuum esse in rebus spiritualibus, & temptationibus ac consolationibus animæ, quas sæpe amicus amico in sinum effundit, & non prodest effutiri. Sicut Salomo Prover. 27. seipsum declarans diserte inquit: Cor læatur fraganti Deo, amicus autem amabilis est propter consilium animæ, Id est, ad animam extentionibus & dubitationibus erigendam. Sicut Ionatas Dauidem afflictum & perculsum metu mortis consolatur: Et amici Hiobis de Dei gubernatione cum eo disputant. Ideo Illyricus nequaquam isto frigido cauillo effugit crimen violatæ amiciciæ.

Multo

Multo verò inceptius & insulsius est, quod se tuerit dicto Christi Luce. 8. Nihil ast absconditum, quod non reuelabitur, & quod in cubiculo loquimini, in teatris prædicabitur &c. Perinde ac si propositio Illyrici, (quod peccatum originale sit substantia, efficaci maledictione Dei effecta) esset certum Euangelium, de quo Christus in illo loco loquitur, quod non intra limites Iudeæ, quasi angusti cubiculi sit mansurum, Sed ab Apostolis sit propagandum pernivuersum orbem.

Eodem pertinet, quod Illyricus allegat editionem epistolarum Pauli, Petri, & aliorum, quæ tanquam certa & definita dogmata, sine periculo & scandalo lucem ferre potuerunt, sicut Paulus expresse suas Epistles alijs ecclesijs communicari præcipit. At meæ Epistolæ ad Illyricum fuerunt priuatæ & disputabiles, instar immaturi fœtus, Ideo nequaquam ecclesiæ fuerunt proponendæ & euulgandæ. Sicut Petrus I. Epi. 4. monet, Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei, Hoc est, certa, definita & analoga fidei, non periculosa & absurdâ paradoxa, quibus ambitiosa ingenia se ostentare solent, & de quolibet nouo inuento thrasonice triumphare: Hoc ante me nemo sciuit, Ego primus sum eius autor, & ideo publicationem eius præcipito, ne aliis mihi laudem præripiat. Quemadmodum in Hiob 32. Elihu veluti commune exemplum tumidorum & persuasione singularis sapientiæ turgentium Spirituum inquit: Proponam ego quoq; scientiam, quoniam plenus sum verbis, & angustiam mihi facit Spiritus ventris mei: Ecce venter meus est, sicut mustum, & sicut lagenulæ, quæ rumpuntur: loquar igitur, ut euacuem me, Hoc est, ut Lutherus Germanice expo-

D

nens

nens inquit: Die vbergeissliche Kunst wil den bauch zureissen
darumb mus sie heraus/vnd solte gleich die Kirche drüber
zu boden gehen.

Reuera igitur Illyricus reus est non tantum violatæ
mecum amiciciæ, Sed etiam præsentium scandalorum,
& schismatum, in Cœlum usq; clamantium,
quæ aliquando sentiet cum dolore & gemitu, ubi con-
scientia eius iam cubans pro foribus, expergefacta fue-
rit. Utinam interea serio ad suam salutem resipiscat.

Animaduertit tamen multos bonos & cordatos
offendi nouitate sui dogmatis: Ideo ut ei conciliet au-
toritatem, conatur omnibus persuadere, nequaquam
esse nouum, sed ante & post obitum Lutheri sanctæ me-
moriae receptum & usitatum fuisse. Id an verum sit, tes-
tabantur alijs, qui tempore Lutheri vixerunt, & eius
scripta & certamina cognita habent. Ego pro mea per-
sona dico, me ante etiam Illyricum, Lutherum perse-
ptem annos Vuitembergæ audiuisse concionantem
& legentem, initio facto à 1532. anno, sed nihil tale
vnquam ex eo intellexisse: licet tunc temporis in acer-
rimo confictu cum Erasmo, & alijs liberi arbitrij pa-
tronis, multo maiorem occasionem vrgendi hanc pro-
positionem de essentiali transformatione habuerit,
quam nunc Illyricus.

Post eius obitum cepit Illyricus omnium prima
nouæ huius structuræ fundamenta iacere, arrepta oc-
casione ex locis communibus Philippi, de tribus cau-
sis concurrentibus ad conuersionem hominis, quas
recte

recte quidem contra Adiaphoristas, & Strigelium taxauit, & demonstrauit, Peccatum originale, non tantum (ut illi opinati sunt) esse corruptionem accidentium, sed ipsius substantiae, ita ut nulla capacitas, aptitudo vel modus agendi ad nostri conuerisionem in nobis reliquus existat. Id ego vna cum alijs veritatis amantibus, constanter cum eo professus sum, & Deo me regente, profitebor usque ad finem vitæ. Verum Illyricus non contentus hac asseueratione, paulatim progressi cepit ad presens paradoxon, & omnium primam eius mentionem in fine Vinariensis disputationis fecit, querente Strigelio, Num peccatum originale sensitret esse substantiam.

Licet autem parce ac tenuiter id fecisset, tamen multos fratres nouitate & absurditate rei ita obstupefecit & alienauit, vt grauiter cum eo expostularent. Ego vero usque adeo defixus fui in admirationem eius zeli pro veritate aduersus corruptelas, vt minus ei aduersatus sim. Imo pro mea credula simplicitate mihi ab eo persuaderi passus sum, vt disputationem Vinariensem praesenti paradoxo contaminatam, meo nomine in publicum edi permisserim: Cum id à me flagitarit.

Quanquam autem satis audacter Illyricus de me affirmat, quod totos tredecim annos suum paradoxon constanter propugnauerim, tamen probo sequentibus actis, non usque quaquam firmum fuisse assensum, sed mixtum dubitatione. Primo, quod in libro Saxonicum confutationum, à me & D. Stosselio latine conscripto, & à D. Maximiliano germâice reddito, & ab utroque

D ii

puni-

punica fide seruata, prorsus hæc propositio non extat
neç in vllis meis librís in publicum editis. Deinde
longo post subscripti confessioni nobilissimí viri D.
Meiendorffij, in qua hæc propositio expresse damna=
tur, non sine vehementi stomachatione & expostula=
tione Illyrici, ita tamen, ut coniunctus mecum manfe=
rit: Imo monitus à me, insuper etiam errorem suum
aliquatenus correxerit, licet non penitus sustulerit.
Quomodo igitur ipsi constat, quod inter tot manife=
sta índicia meæ de eius paradoxa hæsitationis, totos
tredecim annos ab eius partibus firmiter steterim, do=
nec tandem nunc ob iunctam cum D. Hesshusio affi=
nitatem seduci me passus sim.

Inter omnes vero iniuriás, quibus me in refuta=
tione insigniter afficit, vix vlla est grauior & magis
in oculos incurrens, quā retorsio Manichæismi in me,
quam vt ipse contra se tanto incredibiliorem & mon=
strosiorem efficiat, conatur eam extruere ex illis ipsis
verbis, quibus ego Manichæismum acerrime redar=
guo & oppugno. Ita enim contra me argumentatur
disputator & prouocator inuictus :

Destructio hominis est peccatum originale.
Destructio hominis, teste Musæo, est à Deo.
Ergo Peccatum originale, test: Musæo est à Deo.

Respondeo. Nego consequentiam, quia fallacia
æquiuocationis in vocabulo destructionis gignit qua=
tuor terminos. In maiore significat efficacem positio=
nem malí culpæ seu moralis, quod ipse Illyricus Deo
sanctissimo palam ascribit, cum affirmat efficaci male
dictione

dictione Deiformam hominis optimam transmutatam
in pessimam, sicut supra satis euidenter ex eius pro-
prijs verbis demonstratum est. Ego vero peruicacissi
me nego huiusmodi peccatricem transmutationem in
Deum sanctum cadere posse.

In Minore autem Syllogismo vocabulum destru-
ctionis significat malum pœnae, quo Deus lapsas & in-
gratas creaturas punit & destruit, non effectione ali-
cuius positivi malii moralis, sed priuatione dati boni &
inflictione dolorum. Quemadmodum Feudarius in-
gratum & perfidum fasallum optimo iure collatis re-
galibus & priuilegijs priuat, & coniicit in carcerem
aut etiam morte plectit. Non tamen censendus est quia
si tali pœna efficit fasallum malum, & adigat ad
peccandum. In hac posteriore significatione ego vo-
cabulum destructionis usurpaui. Cum dixi hominem
ob ingratitudinem à Deo destructum. Id si Illyricus in
me reprehendit, tanquam Manichæum, derogat Deo
iustitiam in iudicando, puniendo & destruendo malo
culpæ: Sicut econtra imputans ei efficacem maledi-
ctionem in peruersione formæ essentialis in pessi-
mam, priuat Deum sua bonitate & sanctitate, & reuera-
tribuit ei Diabolicum opus, & negat eum esse immu-
tabiliter bonum moraliter, aduersus malum culpæ,
contra hæc dicta, Malach. 3. Ego sum Deus & non mu-
tor. Item 1. Epistola. 2. Concupiscentia carnis non est
ex patre, sed ex mundo.

Vides hic, pie lector, uter nostrum Illyricus ne,
an ego Manichæisimum profiteatur: Et qua veritate ni-
tatur tragicus eius clamor contra me, quem toties in
D iij sua

sua refutatione ingeminat: Musæus est Manichæus,
Musæus est Manichæus, quia idem docet, quod in me
damnat &c. Si gauderem eius malis, possem nunc eius
sarcasmos in ipsum retorquere & dicere. Eat nunc Il-
Iyricus, & clamet Musæum esse Manichæum, sed absit
a me diabolicus iste furor lapsi fratris, calamitatibus
insultans & eius oppressionem sitiens.

Parcat tibi Dominus pro sua immensa clemen-
tia, licet id scienter & affectate contra conscientiam fa-
cias. Non enim ita rudis es Theologiæ & Dialecticæ,
ut supra dictam fallaciam æquiuocationis in vocabu-
lo destructionis non intelligas: Sed impatientia meæ
fidelis admonitionis te ita dementat, & transuersum
rapit, ut vnde cunq; arripias tela ad ferendum & con-
spurcandum monitorem tuum. Verum recollige te, &
noli te ipsum sciens & volens subinde profundius in
conceptum errorem mergere, & in iram Dei præcipi-
tem dare. Scias etiam nos magis in nostra sententia
confirmari, quando non veris sacræ scripturæ bom-
bardis, Sed scurrilibus bombis falsorum conuicio-
rum, & mendacibus retorsionibus criminis nos oppu-
gnas.

Eiusdem farinæ est illa quoq; valde contumelio-
sa mei exagatio & flagellatio propter vocabulum
chaos: quasi ingens píaculum commiserim dicendo,
peccatum originale esse chaos omnium malorum. Id
vociferatur data opera insidiose me posuisse, ut auerte-
rem lectores a speculanda illa regia arce, quam solam
ipse

ipse pro suo perspicaci acumine, peccato originali, tan
quam præpotenti reginæ inhabitandam consecrauit,
ad quam meum vocabulum chaos minime quadrare
dicit, vtpote nimis late vagans, & quasi quoddam di-
luium vniuersum orbem terræ occupans & submer-
gens, Bonè Deus, quid non deprauat libido calum-
niandi? Et quid tam bene ac simpliciter dici potest,
quod non in pessimam partem rapiat?

Quin ipse facile meum consilium & propositum
ad bonum & non ad malum animaduertere potuisset,
nisi malignis suspicionibus penitus esset excæcatus.
Sum veritatis dicendæ, & regiæ viæ tenendæ cupidif-
simus. Hærebam autem inter vocabula Accidentis &
Substantiæ, in quibus controversia præsens de pecca-
to originali vertitur veluti inter Saxum & sacrum (vt
dico solet) vel potius inter duo extrema, quorum neu-
trum rei veritati exprimendæ satis idoneum iudicas-
bam.

Quemadmodum enim Substantia, seu substancialis
transformatio sine blasphemia accusatione Dei, (quod
sit autor mali culpæ) nequaquam obtineri potest; Ita pueri-
lis & nimis exilis definitio Accidentis (quod possit as-
desse vel abesse, citra subiecti corruptionem) nullo mo-
do respondet grauitati peccati originalis, & excludit
corruptionem substantiæ, quam tamen serio profiteor, li-
cet transformationem non admittam: Ideo vocabulū
accidentis latius extendi & vniuersaliter accepi, pro
omni re, quæ non est substantia, sed est in alio mu-
tabiliter, ita, vt comprehendat totum chaos malorum,

D iiiij

quod

quod, per lapsum primorum parentum naturam nostram occupauit.

Id sicut vere, ita bono & simplici animo dixi maioris ponderis gratia: Quemadmodum illi solent, qui loquentes aliqua de re valde abominabili, noxia & mala: Destituti autem verbis idoneis, & videntes eius magnitudinem nulla oratione satiis depingi posse, tandem dicunt, Summa summarum, Est reuera chaos, Abyssus & lerna malorum, cuius atrocitatem, nulla mens cogitatione assequi, multo minus lingua verbis explicare queat. Hoc sine tam grande est sacrilegium, ob quod Illyricus tantopere tumultuaretur & nihil non malum inde sugeret?

Non nego peccatum originale præcipue existerre in summis viribus animæ cum Deo viciose agentis, per suam cœcitatatem, incredulitatem, iniusticiam, inimicitiam, & similia damnabilia monstra. Verum contra non ita arcte in illam unicam sedem id includo, ut prorsus negem id inesse cæteris inferioribus membris ac viribus, quasi essent immunes ab ista tetra labe. Statuo enim hoc infernale malum perrepisse & corrupisse uniuersas vires & medullas tam corporis quam animæ, ut nullæ suum officium faciant. Sicut Paulus Roma. 7. dicit: Scio quod in me, hoc est in carne mea habitet nihil boni: Et ne caro intelligatur de una aliqua solummodo parte animæ, mox seipsum explicans inquit: Video aliam legem in membris, tanquam pluribus, Et non in membro, tanquam uno, Hinc Lutherus in Gen. fol. 102. prima facie dicit: Venenum hoc diffusum est per totum corpus &c. Sed qui hoc sentit, is ab Illyrico existimatur nihil certæ Theologiae habere.

Senz

Sentio animam pariter & corporis membra, hoc
est, tam gubernatorem, quam ipsos etiam subditos
peccato originali contra normam legis diuinæ ruere.
At Illyricus præpotentem illam vim & reginam pec-
candi in supremum gradum animæ includens, loqui-
tur de originali peccato, perinde ac si pessimus aliquis
governator imperaret bonis subditis. Usq; adeo e-
nim exacte persuadet sibi vniuersas latebras naturæ
humanæ exploratas & distributas habere, vbi pecca-
tum originale habitet, vel non, vt qui saltem latum di-
gitum ab eius conceptis speculationibus discrepat,
prorsus nihil certæ Thelogiæ habere censendus sit.
Hac ratione ipsis quoq; Prophetis certæ Thelogiæ
cognitio derogatur, qui omnes fatentur, peccatum o-
rigionale esse malum incomprehensibile, & soli Deo
κατσιογνάση penitus perspectum.

David certe Psalmo 51. vocat veritatem in ab-
scondito, & sapientiam arcanam: Eatenuis tamen ec-
clesiæ patefactam, ne cum cœcis Philosophis & Pela-
gianis, falso sibi imaginetur, peccatum esse prauam
duntaxat locomotiuæ gubernationem, & externæ dis-
ciplinæ violationem: Sed potius interiorem immun-
diciem, & corruptionem totius naturæ, lapsu Adæ con-
tractam: Veruntamen usq; adeo profundam, vt nemo
vnquam etiam sanctorum eam penitus exhauserit. Si-
cut David iterum Psal. 19. dicit: Delicta quis intelli-
git, Ab occultis meis munda me Domine. Similiter Ies-
remias capit. 17. Peruersum est cor humanum per om-
nia atq; præfractum, quis cognoscet illud? Ego Do-
minus

minus scrutor cor & renes, vt dem vnicuique iuxta vias suas, & secundum fructum operum eius.

Hinc testantur omnia exempla Sanctorum, quod quoties in exercitio pœnitentiæ peccatum suum Deo confessi sunt, non dixerunt de vlla transformatione essentiali animæ, in certa parte hærente: Sed in genere questi sunt de vniuersali corruptione, vna cum omnibus cogitationibus, dictis & factis, quod iustum Dei iram & pœnam commeruerint: veluti Daniel 9. Tibi soli iusticia, nobis autem confusio faciei: Paul. Ro. 7. Scio quod in me, hoc est in carne mea habitat nihil boni. Item Rex Manasse in carcere putrescens inquit: Peccata mea plura & grauiora sunt, q̄ arena maris, miserere mei iuxta immensam misericordiam tuam, &c. Hi & similes pœnitentiarij & confessores peccati iudice Illyrico, nihil certæ Theologiæ habuerunt, sed in eius scholam relegandi essent, vt ex acuto & arguto eius cerebro discerent, in qua parte animæ, præpotens illa vis & regina peccandi, efficaci maledictione Dei effecta, sederet.

Num tu Illyrice existimas, quenquam damnari, tanquam non recte pœnitentem, qui omissa tua periculosa & curiosa fantasia, de substantiali transformatione animæ, simpliciter & generaliter, iuxta veterum sanctorum exemplum, coram facie Deitoto pectore confitetur, peccatum originale esse vere chaos omnium malorum, sequeb̄ esse perditissimum peccatorem, & suam culpam grauiorem, quam vt eam cogi-

cogitatione saltem assequi queat: Petere autem benignam veniam propter filium mediatorem. Utinam hanc priscam simplicitatem meditandi & confitendi peccatum persuadere omnibus possem, vt mecum cotidie gementes dicerent, peccatum originale esse Iernam & chaos malorum longe excedens captum humanum.

Est reuera doctrina de peccato originali, mysterium, rationi humanæ non minus incomprehensibile, atq; alij articuli fidei, in qua valde lubricum est labi, & in alterutram partem impingere. Ideo tanto maior prudentia adhibenda est, vt exclusis extremis medium teneatur. Exaggeretur sane peccatum originale in immensum, sicut omnino eius magnitudo & atrocitas meretur, aduersus omnes Pelagianos & Synergistas, solum fiat id citra contumeliam sanctissimi Dei & blasphemationem eius gloriae. Si quidem ea amissa, ipse Deus simul amittitur. Amisso autem Deo, quid iuuabit nos amplificatio peccati originalis etiam in infinitum.

Non vult videri Illyricus, quod illam copulationem quatuor causarum efficientium, ad peccatum originale concurrentium: Videlicet, Deum cum sua maledictione, Satanam cum sua seductione, hominem cum sua apostasia & naturam physicam cum sua generatione & corruptione, pro fulcris & columnis sui dogmatis posuisse, cum tamen luce meridiana clarus sit paßim eas vrgeri in omnibus eius scriptis. Cumque impudenter neget me cius verba in

E ij

refus-

refutatione prædictarum causarum recte citasse remit-
to lectorem ad loca.

Illud tantum modo breuitatis gratia moneo, ut
pius lector consideret, quam turpiter in sua refutatio-
ne, tractans hunc locum, sibi ipsi met contradicat. Si-
mulat primo singularem modestiam & religionem, qd
tanquam de mysterio imperscrutabili, nolit pronun-
ciare, quid & quantum Deus & Satan præstiterit &
contulerit in illa horrenda hominis methamorphosi.
Vt inam promissi huius seruans mansisset. Verum
mox suæ modestiæ oblitus, audacissime facit id per-
scrutabile, quod Paulo ante imperscrutabile autuma-
uerat, cum illam plusquam Manichæam blasphe-
mam euomit: quod præpotens vis & regina peccan-
di, tam in Angelis quam in hominibus grassans, non
sine efficaci maledictione Dei, ex optima in pessimam
quandam imaginem sit peruersa & inuersa. An non
hic aperte determinas & definis, quod antea simula-
baste in medio relinquere. Nec id magnopere mi-
rum. Cum enim tam arduum & soli Deo possibilem
effectum: videlicet, substantiale transformationem
animæ humanæ in nouam speciem ecclesiæ obtrudas
credendum, necesse est, ut inter alias causas efficien-
tes, Deum quoq; colloces & numeres, & eitam fœ-
dam notam mali culpæ inuras: quandoquidem vides
Satanam solum ad tam difficultem effectum nequa-
quam sufficere.

Passim magnifice te effers, propter singularem
certitu

certitudinem & plerophoriam de peccato originali,
quasi omnia ad viuum vsq; resecaris, & enuclearis. Nos
vero licet perspicue loquentes, tamen vsque adeo ob
incertitudinem criminari, ut longe etiam ipsos Papis-
tas & Scholaisticos doctores, nobis anteponas, tan-
quam dexternis peccatum originale tradentes. Parcat
tibi Dominus ob effrenem linguam, & insatiabilem
libidinem obtrectandi & maledicendi: Conuincunt
te manifeſte & ſcripta & conciones noſtræ, quod toto
cœlo à Papistis non minus in hoc articulo atq; in om-
nibus alijs separati ſimus.

Nos ex limpidis fontibus Israel profitemur, pē-
catum originale esse corruptionem tam priuatiuam
boni, quam positiuam mali, non tantum in accidenti-
bus, sed etiam in ipfa ſubſtantia, vsq; adeo atrocem, vt
ad noſtri conuerſionem & ſaluationem nulla prorsus
inſit nobis amplius mīca vel ſcintilla reliqua, & ſit ma-
lum plane infinitum, propter offenditionem Dei, boni
infiniti: Neq; vlla ratione nos inde poſſe eluctari, niſi
gratuita remiſſione & receptione æterni patris in gra-
tiam propter filium mediatorem, accedente etiam re-
generatione Spiritus sancti, iuxta testimonium Pauli
Ephes. 2. Seruati eſtis gratia per fidem, idq; non ex vo-
bis. Dei donum eſt, non ex vobis, ne quis glorietur.
Nam ipſius opus ſumus conditi in Christo Iefu, &c.

His omnia contraria tradunt Papistæ: Negant
corruptionem noſtræ naturæ totalem: Peccatum ori-
ginale

E iiij

ginale dicunt post baptismum tantum somitem ad peccatum, non ipsum peccatum: Affirmant naturalia adhuc esse integra: Commixtuntur meritum congrui & condigni: Somniant opera supererogationis, quibus plus præstetur, quam Deus postulat. Hæc & alia plurima hæretica monstra, cum optime nouerit Illyricus, tamen papistas præfert nobis, dissimulans hæc portenta, & laudans eos vel eo saltem nomine, quod peccatum in certo prædicamento collocent.

Egregiam vero laudem, qua papistæ ipsum etiam Illyricum vincunt. Vult quidem videri, quod peccatum originale ponat in prædicamento substantiæ: At bone Deus quam dubitanter & fluctuantur: Initio interrogatus in disputatione Vinariensi à Strigelio, Num peccatum originale esset substantia: Constanter id quidem asseruit, & aliquantisper etiam defendit. Nunc vero inde depulsus varijs modis huc illuc nutat & vacillat: Modo ait nullam esse quæstionem de substantia: Modo se vocem substantiæ impropre usurpare & tamen manere cum peccato originali in prædicamento substantiæ, licet impropre: Modo se loqui de essentiali transmutatione, & ea quidem non totius animæ, sed aliquoti gradus: Aliquando dicit à solo Satana tanquam potentí quodam creatore productam: Aliquando etiam efficaci maledictione Dei: Interdum singit Iapsum hominem, ab integro, tota specie differre, Verum tamen non tali specie, qualem Moïses Genes.

Gene. i. vocat proprię speciem & Deo creatori tribuit
sed impro priam speciem qualem vitriarij, fabri & alij
cotidie solent efficere, &c.

Ita ludit & tergiuersatur perpetuis fallacijs plu-
rium propositionum, antilogijs, æquiuocationibus,
& peruersionibus suæ ipsius orationis: Neç vult iu-
xta regulam Christi Lucæ 19. (ex ore tuo iudico te
serue nequam) in ordinem redigi, & redargui, sed ex
sua ipsius mente & interpretatione: Alioqui si verba
eius propria contra ipsum vrgentur, continuo vocife-
ratur & crepat calumnias & crimen falsi. Quid igi-
tur cum eo agas, apud quem neç sic sic, neç non,
non est, sicut Christus Matthei 5. à Christianis po-
stulat.

Fui & ego aliquando in ea spe & opinione, vt
statuerem conducibile fore ad compositionem huius
controversiæ, Si Illyrico daretur copia disputandi in
publica Synodo: Verum nunc cogit me eius in con-
stantia diuersum sentire. Si enim ita volubilis est in
verbis scriptis, & iacentibus ante oculos totius ec-
clesiæ: quid facturus esset in sermonibus præteruo-
lantibus aures, vt interim taceam de eius furiosa im-
potentia in maledicendo.

Hæc incommoda reddunt præsentem controversiā
prorsus insanabilem, cuius alioqui celerē finem, & læ-
tā catastrophen pro mea persona cupidissime expeto,
offerens me vero pectore ad nihil nō faciendū, vt profli-

E iiiij

gatis

gatis errorum nebulis, lucidus sol saluificæ veritatis,
in ecclesia fulgeat, triumphet & palmā obtineat ad æ-
ternam gloriam sanctissimi Dei, & ad fructuosam mœ-
stæ ecclesiæ ædificationem.

Sanctissime & iustissime Deus, pater saluatoris
nostrī Iesu Christi, æterne fons omnis bonitatis ac pu-
ritatis, & acerrime hostis, iudex ac vindictor omnis ano-
miæ, & immundicie: Nos miseri serui tui, in statione
nostra, in quā nos collocasti, pro gloria & veritate tua
excubias agentes, vero pectore & ingenuo ore, coram
te & sancta tua ecclesia testamur & profitemur, nos ori-
ginali peccato, & prognatis inde fructibus, usq; adeo
grauiter lapsos & corruptos, ut nostra culpa lædens &
violans te infinitum bonum, plane etiam ipsa sit infini-
ta, & commeruerit æternam nostri abiectionem, & re-
dactionem in nihilum: Nisi tu ex immensa misericor-
dia, iustum iram tuam temperasses, & nos tam iuxta
formam, quam materiam licet corruptissimos, homi-
nes tamen manere permisisses, & coeternum filium tuū
mediatorem: cum misera carne nostra æterno foedere
copulasses, ad nos redimendos, iustificandos, sanctifi-
candos, & tecum rursum fungendos ad æternam con-
suetudinem & salutem: Pro quibus inenarrabilibus be-
nificijs immortales gratias tibi agimus.

Cœterum licet hanc orthodoxam Confessio-
nem iuxta infallibilem verbi tui normam, palam co-
ram te & tua ecclesia, linguis pariter & scriptis publice
& pri-

& priuatim, plurimos iam annos, inter durissimas & rumnas & persequitiones sonemus, fideliter ad posteros propagemus, & corruptelis saluificæ veritatis tuæ constanter contradicamus: Tamen Matthias Flacius Illyricus, ex socio & commilitione, acerbus hostis factus, ut nostrum curriculum remoretur, & vniuerso orbì nos exosos reddat cum nostris laboribus, contra suam conscientiam, derogat nobis certam Theologiam, & abiicit nos infra omnes sorbonistas, solum propter eam causam, quod eius nouum, périculosum, & in tuam blasphemiam redundantem phrasin de essentia hui transformatione animæ, in contrariam specificam formam, quam ipse efficaci tuæ maledictioni tribuit, iuste reprehendamus.

Obsecro igitur te propter tuam sacrosanctam gloriam, pro qua nunc dimicamus, & contumelias sustinemus, ut nos fragilia organa, in ministerio tuo, potenti manu protegas, Spiritu sancto in recta semita tuæ saluificæ veritatis finaliter custodias: Matthiam Flacium Illyricum, non pro suo merito perdas (sicut ipse ex insaciabili cupiditate in suis scriptis existitum nostrum indesinenter à te flagitat) sed ut errantem benigne in viam reducas, & ad agnitionem ac correctionem datorum scandalorum reuoces, tuæ ecclesiæ piam & salutarem pacem tribuas, ne hisce funestis schismatibus lux verbi tui amittatur, & totus mundus in extremum epicureismum mergatur, & igneo diluvio gloriofi aduentus filij tui, præ forebus

F

ribus


ribus instantis, absorbeatur. Exaudi nos, exaudi nos,
propter vniogenitum, & nobis dulcissimum filium
tuum, Dominum nostrum crucifixum &
resuscitatum pro nobis Amen,

A M E N.



E





155375

AB: 155375


ULB Halle
002 626 284

3



56:

Roma. 143.



Farbkarte #13

B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



REPETITIO ET
CONFIRMATIO ORTHODO-
XAE SENTENTIAE DE PECCA-
TO ORIGINALI: QVOD NE QVA-
quam sit vlla substantia, sed extrema substantiæ
a Deo conditæ corruptio: fulta & com-
munita immoto scripturæ
fundamento.

Per D. Simonem Musæum.

AD VERSVS FALSAM ET CA-
LVMNIOSAM REFUTATIONEM
Matthiæ Flacij Illyrici & eius
filij satellitis.



I E N AE
Impressum per Donatum Ritzenhan,
Anno M. D. LXXIII.